
START

Reel Contents

1. Küppers, J. J. / Curae criticae in Thucydidem ...
2. Niggemeyer, T. / De Alcmane poeta Laconico
3. Lohmann, W. / Quaestionum Lucretianarum capita duo. I. De ...
4. Kroon, T. T. / Specimen litterarium, exhibens quaestiones Catullianas
5. Cobet, C. G. / Oratio de arte interpretandi grammatices et ...
6. Panofsky, H. / Quaestionum de historiae Herodoteae fontibus pars ...
7. Hoffmans, W. A. / In scholia Horatiana quaestiones selectae
8. Hoffs, F. van / De rerum historicarum in Aeschyli Persis tractatione ...
9. Horkel, J. / Analecta Horatiana
10. Hoelscher, L. / De vita et scriptis Lysiae oratoris

Reel Contents (2)

Reel Contents (3)



KUEPPERS

CURAE CRITICAE IN THUCYDIDEM.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XX. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLVI.

PUBLICE DEFENDET

IOHANNES IACOBUS KUEPPERS
RHENANUS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

EDUARDUS LUEBBERT, DR. PHIL.
ANTONIUS KLETTE, DR. PHIL.
FRANCISCUS BUECHELER, DR. PHIL. REN.

BONNAE

FORMIS I. F. CARTHAUSII.

Praefatio.

Thucydidem forsitan mireris postquam in eo et explicando et emendando tot tantique viri versati sunt, a vitiorum immunitate etiam nunc longius abesse quam pro rei gravitate liceat exspectare. Attamen si spectaveris ad tralaticiam huius operis speciem quippe permultos omnium codicum communes errores occultantem nec tamen plane corruptam aut dilaceratam sed integriorem sanioremque eam quidem quam ut liberior medendi campus relictus sit, porro si consideraveris, nullum omnino vel certe minimum esse auxilium repetendum ex ea quae nobis superest scholiorum farragine, cui quota fidei pars haberi possit, documento est quaelibet fere quam offerunt interpretatio, facile intelleges, qui factum sit, ut ad solius ingenii opem redacta divinatio rarissime, quamvis cuperet, rectam probabilemque viam ingrederetur. Verum id non ita accipi velim, ac si post eximia Imm. Bekkeri Popponisque merita nihil om-

nino recentissimo tempore praestiterint viri doctissimi Haasius, Kruegerus, Ullrichius, alii, quorum illius non satis admirari possum acutam in emendando sagacitatem, Kruegeri in enucleandis rationibus grammaticis singularem eruditionem, Ullrichii denique in illustrandis sententiis consideratam mentem, subtile iudicium: at relicta sunt non pauca eaque gravissima, quae aut interpretum diligentiam desiderent aut manum criticorum.

Itaque quae mihi ex adcuratiore praeclari huius monumenti historici tractatione redundarunt emendationes, earum priorem partem per hanc occasionem in communem usum conferre placuit.

Est autem ei qui ad Thucydidem emendandum adgredi in animum induxerit, antea subeundus labor ne dicam ingratus at ita tamen is comparatus, ut initio certe iuveniles potissimum vires facile deterrere possit. Etenim priusquam animum sensumque tuum et omni codicum ope, ad quos apud alios scriptores refugium in „arduis rebus“ esse solet, saepenumero plane destitutum artissimisque conjectandi limitibus coercitum adcommodare didiceris ad ipsam propriamque scriptoris mentem naturamque et artem, praeterire videbis haud ita breve temporis spatium, per quod assidua opus sit diligentia nec parva exercitatione, ut eruditam quandam nancis-

caris nec fluctuantem huc illuc coniiciendi rationem ac mentem.

Quam ego viam ingressus sim, paucis docebo.

Primum ante omnia id studui, ut inutilem evitarem coniectandi libidinem eamque rationem sequerer quae a falsa religione et a nimia audacia pari intervallo abesset: quare ubique, ubi res postularet, ad interiorem mendi causam et originem penetrare contendi, ut unicuique, quantum fieri liceret, corrumpendi ratio ac via statim adparerent.

Tum vero quo magis perspicua fieret propositae coniecturae probabilitas, similibus ex eodem potissimum scriptore petitis sive notionibus sive sententiis stabilire eam conatus sum.

II, 15, 4. [ed. Krueg.].

Καὶ τῇ κρήνῃ τῇ νῦν μὲν τῶν τυράννων οὕτω σκευασάντων Ἐννεακρούνῳ καλουμένῃ, τὸ δὲ πάλαι φανερῶν τῶν πηγῶν οὐσῶν Καλλιῤῥόῃ ὠνομασμένῃ, ἐκείνῃ τε ἐγγὺς οὔσῃ τὰ πλείστου ἄξια ἐχρῶντο, καὶ νῦν ἔτι ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου πρό τε γαμικῶν καὶ ἐς ἄλλα τῶν ἱερῶν νομίζεται τῷ ὕδατι χρῆσθαι.

Suo iure Kruegerus dubitat, num Graeci *ἐκεῖνος* pronomen ita usurpare sint soliti, ut notionem aliquam post interiectas alias sententias perspicuitatis causa per illud pronomen exciperent, quemadmodum in nostra sententia Poppo statuit *ἐκείνῃ* dativum spectare ad *τῇ κρήνῃ* notionem supra allatam. Etenim nemo non sentit prorsus diversum esse dicendi genus: *ὅς — ἐκεῖνος*, quale exstat e. g. apud Xen. Cyr. VI, 2, 33: *ὁ τὴν λόγχην ἀκονῶν, ἐκεῖνος καὶ τὴν ψυχήν τι παρακονᾷ.* Secus porro res se habet, si spectes ad vim *οὗτος* pronominis. Quamquam quid refert ad sententiam nostram, *ἐκεῖνος* vocabuli haec, de qua agimus, natura utrum graeci sermonis ingenio adversetur necne? Neque enim ulla causa erat cur scriptor ad istud vocabulum confugeret, neque auribus gratam varietatem meo quidem sensu eo accipit narratio. — Huc accedit, quod *τε* part. post *ἐκείνῃ* illud omnino non habet, quo pertineat. Nam ad *καὶ νῦν* subsequentes voces sine summa duritie ea referri nequit.

Quae duae res me moverunt ut mendum in *ἐκείνῃ τε* vocabulis esse suspicarer. Nec tamen earum ullam, quae a prioribus interpretibus propositae sunt, emendandi rationum amplecti placuit, quoniam nullam aliam sanandae enuntiationis medecinam extare persuasum habeo nisi hanc:

— *εὖ κειμένῃ τε καὶ ἐγγὺς οὔσῃ κτἑ.*

Nempe *εὖ κειμένῃ* vocum per compendium exaratarum formam haud dissimilem fuisse formae *ἐκείνῃ* illius nihil impedit quo minus accipiamus. — Haud raro autem *καὶ* particula per errorem omissa est: sic VI, 72, ut hoc exemplo me contineam, ubi falso codices exhibent: *ἄλλως τε* pro *ἄλλως τε καὶ*. — Denique quod ad ipsam dictionem *εὖ κεῖσθαι* attinet, quippe in qua insit volgo „bene sese habere“ notio = *καλῶς ἔχειν*, veluti ap. Herod. VIII, 102. *εὖ κειμένων τῶν πραγμάτων*, quid obstat, quominus ad primariam huius notionis vim revertentes statuamus, *εὖ κεῖσθαι* illud prorsus eandem significationem habere qualem *καλῶς κεῖσθαι* verba, quae de insula praedicat Thuc. I, 44, 2: — *ἅμα δὲ τῆς τε Ἰταλίας καὶ Σικελίας καλῶς ἐφαίνετο αὐτοῖς ἡ νῆσος ἐν παράπλῳ κεῖσθαι.* I, 36, 3: *τῆς δὲ γὰρ Ἰταλίας καὶ Σικελίας καλῶς παράπλου κεῖται κτἑ.*, cf. I, 37, 2: *καὶ ἡ πόλις αὐτῶν ἅμα, αὐτάρκη θέσιν κειμένη.*

Saepissime vero Thuc. *εὖ* voce loco *καλῶς* utitur, ut I, 120, 3: *εὖ δὲ παρασχὸν ἐκ πολέμου πάλιν ξυμβῆναι.* cf. *καλῶς παρασχόν*: V, 14, 1; 60, 4; 63, 1. *εὖ θέσθαι*: IV, 17, 3 *καλῶς θέσθαι*, cf. IV, 61, 4.

Denique observare licet, quam bene cum iis quae praecedunt conciliari possint *εὖ κειμένῃ τε καὶ ἐγγὺς οὔσῃ* verba per appositionem ea quidem adiecta utpote causam continentia simul cur Calirrhoe appellatus sit ille fons et cur eo usi sint ad maxima quaeque Athenienses.

II, 90, 2.

Ἐπὶ δ' αὐτῷ εἴκοσι ἔταξαν τὰς ἄριστα πλεούσας, ὅπως εἰ ἄρα νομίσας ἐπὶ τὴν Ναύπακτον αὐτοὺς πλεῖν ὁ Φορμίων καὶ αὐτὸς ἐπιβοηθῶν ταύτῃ παραπλέοι, μὴ διαφύγοιεν πλέοντα τὸν ἐπίπλουν σφῶν οἱ Ἀθηναῖοι ἔξω τοῦ ἑαυτῶν κέρως, ἀλλ' αὗται αἱ νῆες περικλήσειαν.

Quin corruptum sit *πλέοντα* participium, hodie nulla iam est dubitatio. Quare Kruegerus et Dobreus exarandum esse iusserunt *πλέοντες* nominativum, vix reputantes, ut videtur, languidam hac correctione effici orationem nec dignam adcurate scribendi genere. Patet enim per se, navigando neque alio modo Athenienses effugere posse navium impetum Lacedaemoniorum. Scribendus est autem *π λ έ ο ν α* comparativus spectans is quidem ad auctum navium numerum, qualis a Lacedaemoniis eum ad finem instituebatur, ut circumvenire possent suis ipsorum navibus naves hostium neve his, si quod consilium esset praetervehendo ordines Lacedaemoniorum effugiendi, talis copia daretur.

Similem sententiam habes VIII, 39, 3. sqq.: unde hoc laudasse sufficiet: *καὶ π λ ε ί ω τ ὸ ν π λ ο ῦ ν διὰ φυλακῆς ποιησάμενοι ἐς τὴν Καῦνον τῆς Ἀσίας κατῆραν*, ubi schol. explicat: *μακρότερον τὸν πλοῦν.* Itemque IV, 128, 1. — *πρὶν καὶ τ ὴ ν π λ ε ί ο ν α κ ύ κ λ ω σ ι ν σφῶν αὐτόσε προσμῖξαι.* De *πλέονα* comp. forma vide IV, 82. *καὶ τῶν ταύτῃ ξυμμάχων φυλάκην π λ έ ο ν α κατεστήσαντο.* cf. V, 47, 8. *π λ έ ο ν α χρόνον.*

III, 30, 1.

— Κατὰ γὰρ τὸ εἰκὸς ἀνδρῶν νεωστὶ πόλιν ἐχόντων πολὺ τὸ ἀφύλακτον εὑρήσομεν κατὰ μὲν θάλασσαν καὶ πάνυ,

ἢ ἐκεῖνοί τε ἀνέλπιστοι ἐπιγενέσθαι ἄν τινα σφίσι πολέμιον καὶ ἡμῶν ἡ ἀλκὴ τυγχάνει μάλιστα οὖσα.

Qualis volgo circumfertur horum verborum species quominus integra habeatur, obstat gravissimum ex rei ipsius natura petitum argumentum. Nam quod viri docti plerique verborum vestigia secuti interpretati sunt: „. . . . qua ex parte (a mari) cum ipsi nullum hostem contra se venturum sperant, tum etiam nostrae vires sunt firmissimae“, habet ea sententia per se quidem nihil, quod vituperes: sed quomodo hic apte locum habere possit, non assequor. Qui enim comparari possunt terrestres Lacedaemoniorum vires cum maritimis eisque opponi, quandoquidem nullus omnino hoc loco sermo est de terrestri exercitu sed de sola classe deque maritima expeditione. — Ut uno verbo rem obsolvam: excidit ante *οὖσα* participium *λαθ-* syllaba surrepta ea quidem a praecedentis vocabuli ultima syllaba:

— *καὶ ἡμῶν ἡ ἀλκὴ τυγχάνει μάλιστα λαθοῦσα.*

Quam sententiam ita verto: „— qua ex parte et illi nullum hostem sese aggressurum esse sperant et impetus noster optime celari potest.“

Id noli oblivisci, aptissime a Teutiaplo Argivo moneri Lacedaemonios, ut quam celerrime quamque occultissime ad captam Mytilenam adpropinquent, quo magis neglegentes offendant Athenienses quippe recens captum oppidum obtinentes; quam quidem rem eo melius posse effici, quia, cum a mari hostem vix contra se venturum esse putent, ad hanc partem minus animum advertant Athenienses; quare impetum navalem facillime posse clam eis institui.

De sententia ipsa cf. III, 81, 1. V, 58, 2. VI, 97, 1. VII, 29, 2. VII, 43, 2 et 3.

Quod denique duo hic unius enuntiati membra per particulas *τε* — *καί* ita sunt copulata, ut alterum eandem fere sed magis distinctam utpote ex priore consectariam notionem

contineat, id ab usu linguae graecae minime esse alienum, amplissime docet Kruegerus gr. gr. §. 59, 2, not. 3.

III, 40, 1.

Οὔκουν δεῖ προθεῖναι ἐλπίδα οὔτε λόγῳ πιστὴν οὔτε χρήμασιν ὠνήτην ὡς ξυγγνώμην ἁμαρτεῖν ἀνθρωπίνως λήψονται.

προσθεῖναι volg. — *προθεῖναι* Cass. Pal.

Omnis huius enuntiati interpetrandi ratio valde timeo ne frustra sit. — Ac primum quidem quod ad *πιστήν* et *ὠνήτην* vocabula attinet, miror equidem a nonnullis ea esse ad *ξυγγνώμην* subst. relata, inter quos etiam Heilmannus et Kruegerus: quo iure ipsi viderint. Deinde vero quaestio difficilior oritur, quid sibi velit *πιστήν* vox? Hobb. eumque secutus Haasius hanc vocem reddiderunt: „impetrabilem". Recte id quidem, si ad sententiarum nexum, non item, si ad vocis potestatem spectes. Quae res Kruegerum adegisse videtur, ut pro *πιστήν* vocabulo *ποριστήν* vel *ἐφικτήν* legendum esse proponeret: ut per se cuique adparet, obscuro magis sensu quam certa ductus ratione, etsi et ego facile concesserim, mendum latere in *πιστήν* voce sed minus. Lege enim pro *πιστήν* adiectivo *οἰστήν* adiectivum verbale, quale et sententia desiderat et grammatica ratio. En igitur haec enuntiationis forma latine reddita: „Non oportet igitur ullam eis spem proponere aut eloquentiae vi impetrabilem aut argento venalem, fore ut quasi humanitus peccarint, accipiant veniam."

Vides, quam bene sibi respondeant *οἰστήν* et *ὠνήτην* notiones; vides etiam in iis quae antecedunt non esse tuendam volg. scripturam *προσθεῖναι* sed *προθεῖναι*: est autem

imago de spectaculis sumpta: *ἐλπίς* enim h. l. tanquam „*ἆθλον*“. Sic III, 67. reperitur: *τοὺς ἀγῶνας προθήσοντες*.

De *φέρειν* verbi usu vide Hom. Il. 23, 441 *οὐδ' ἂν ἄτερ ὅρκου οἴσῃ ἄεθλον*. 18, 308 *ἤ κε φέρῃσι μέγα κράτος ἤ κε φεροίμην*. Plato rep. V, 468: *τὰ ἀριστεῖα, νικητήρια φέρειν*. Legg. II, 657. e. Soph. Oed. Col. v. 6. *μεῖον φέροντα*. v. 651. *οὔκουν πέρα γ' ἂν οὐδὲν ἢ λόγῳ φέροις*, al. cf. lat. „pretium, praemia ferre.“

III, 68, 1.

Διότι τόν τε ἄλλον χρόνον ἠξίουν δῆθεν αὐτοὺς κατὰ τὰς παλαιὰς Παυσανίου μετὰ τὸν Μῆδον σπονδὰς ἡσυχάζειν καὶ ὅτε ὕστερον ἃ πρὸ τοῦ περιτειχίζεσθαι προείχοντο αὐτοῖς, κοινοὺς εἶναι κατ' ἐκεῖνα, ὡς οὐκ ἐδέξαντο — κτέ.

Relicta ea quam pristini aliquot interpretes frustra secuti erant explicandi rationem, recentiores meliorem coniiciendi viam ingressi sunt. Nec tamen feliciter. Heilmannus igitur tres coniecturas proposuit: aut *ὧς οὐκ ἐδέξαντο* legendum aut *ἃ* delendum aut *ὅτε*, quod expletivum sit, exarandum esse, e quibus secundam temerariam esse, relicuas duas graeco sermoni plane contrarias Poppo iudicavit, cui ego, quod ad primam attinet, assentiri nequeo. Kruegerum video ad priorem istam explicandi rationem redisse: quo iure non perspicio. Etsi enim grammaticis legibus non repugnat talis excipiendae usus *ὅτε* coniunctionis per alteram *ὡς*, interiectis compluribus enuntiationis membris, numquid haec de qua agitur sententia habet, quod scriptorem adcuratissimum adducere potuerit, ut tam contorta uteretur structura. Talia Thu-

cydide indigna esse arbitratus leni mutatione laboranti sententiae subvenire studui. Quare pro *ὡς οὐκ ἐδέξαντο* corruptis vocibus restituendum esse duxi *καὶ ὣς οὐκ ἐδέξαντο*, sive absorpta est ab antecedente syllaba *καί* particula sive alia de causa ab imperitis librariis omissa.

Enuntiatum tali modo sanatum ita interpretor: „— quoniam et relicuo tempore eos rogaverant, ut ex veteri Pausaniae post bellum Medicum foedere quiescerent, et cum postea conditiones, quas antequam circumvallerentur, ut scilicet ex illo foedere communes essent, eis obtulerant, *ne sic quidem* acceperant“ — rati (Lacedaemonii) e. q. s.

De structura *καὶ ὥς* utpote Thucydidi usitatissima vide I, 44, 2. *πόλεμος καὶ ὣς ἔσεσθαι*, III, 33, 2. *εἰ καὶ ὣς μὴ διενοοῦντο μένειν*. VII, 74, 1. *καὶ ἐπειδὴ καὶ ὣς οὐκ εὐθὺς ὥρμησαν*. cf. VIII, 51, 2; 56, 3; 87, 3.

III, 104, 7.

Ὕστερον δὲ τοὺς μὲν χοροὺς οἱ νησιῶται καὶ οἱ Ἀθηναῖοι μεθ' ἱερῶν ἔπεμπον, τὰ δὲ περὶ νοὺς ἀγῶνας καὶ τὰ πλεῖστα κατελύθη ὑπὸ ξυμφορῶν.

Offendo in interpretandis *καὶ τὰ πλεῖστα* verbis. Neque enim admittunt eam quae volgo fertur quaeque apud Vallam est, versionem: „et cetera pleraque“. Quamquam haec interpretatio sola veram scriptoris mentem attigisse videtur. Ante oculos erat haud dubie Vallae interpretanti scriptura: *καὶ τἆλλα τὰ πλεῖστα κατελύθη ὑπὸ ξυμφορῶν.*

V, 8, 2.

Εἰ γὰρ δείξειε τοῖς ἐναντίοις τό τε πλῆθος καὶ τὴν ὅπλισιν ἀναγκαίαν οὖσαν τῶν μεθ' ἑαυτοῦ, οὐκ ἂν ἡγεῖτο μᾶλλον περιγενέσθαι ἢ ἄνευ προόψεώς τε αὐτῶν καὶ μὴ ἀπὸ τοῦ ὄντος καταφρονήσεως.

Inter ea quae a prioribus interpretibus prolata sunt illustrandae huius enuntiationis conamina sola meo iudicio Porti et Baueri digna sunt quae in disceptationem veniant. Qui quidem [sec. mai. Popp. ed.] sic universam sententiam constituerunt: „si numerum et armaturam suorum vilem hostibus ostendisset [ideoque in contemptum eorum venisset] difficilius se victorem fore sperabat quam si non conspectus esset neque propter id quod esset (i. e. propter eam quae re vera sibi esset, militum paucitatem et vilem armaturam) in [hostium qui hac re animosiores futuri seu animos sumpturi essent] contemptionem venisset.“

Ad quam sententiam consequendam Heilmannus aut *μὴ* part. propter antecedentem *ἄνευ* redundare, sicut interdum supervacaneum esset, aut *μὴ καταφρονήσεως* verba ab *ἄνευ* coniunctione seiuncta suppleto *γενομένης* participio per se accipienda esse putavit.

Quam tamen Heilmanni enodationem feliciter refutavit Poppo neque *μή* part. hic redundare posse affirmans, quia non cum infinitivo sed cum substantivo verbali ea coniuncta sit neque *γενομένης* vel *οὔσης* genetivum suppleri, cum genetivus absolutus sine eo constare nullo pacto possit: quo accedat, ut *προόψεως* et *καταφρονήσεως* subst. per *τε-καί* particulas aptissime connexa sint. Similia recentiores peccarunt interpretes modo ex hac modo ex illa parte periculosum locum adgressi, mox intellegentes, e sola coniectandi ratione salu-

tem sperari posse. Qua Reiskius usus est et Kruegerus: neuter ullo cum successu. Nam ille μὴ vocabulum mutavit in τῆς, quod quomodo fieri possit sine magna audacia, non intellego; Kruegerus delendam censuit istam vocem, et ipse sine idonea causa. — Atque quod illi viri explicant: „et sine despicientia *propter id quod esset* [ἀπὸ τοῦ ὄντος], num talia ex talibus verbis eruere liceat, aegre crediderim.

Relictum est igitur nobis munus arduum mire obscuratae sententiae lucem afferendi pro virili. Atque ut dicam quod sentio iam desperaveram de recuperanda genuina scriptura diu multumque tritissimi loci naturam ac vim quaenam esset mecum considerans, cum subito mihi aliquid in mentem venit quod haud ineptum esse nexui sententiarum ut fit statim mihi persuadeo. Quid igitur? mutilata sunt haud dubie ἀπὸ τοῦ ὄντος verba: neque aliud exarandum est nisi: ἀ π ό ρ ο υ τ ο υ ὄ ν τ ο ς, sic quidem ut ante του genetivum, id quod facillime fieri potuisse nemo negabit, excidisse statuas ρου syllabam, quo quidem seduci eo magis poterat scriba quidam stultus, quandoquidem collatione similium dicendi generum: ἀπὸ τοῦ προφανοῦς, ἀπὸ τοῦ ἀληθοῦς facile quis movetur, ut ἀπὸ τοῦ ὄντος dictionem certa quadem significatione praeditam per se accipiendam esse censeat.

Accipe iam verborum sinceram speciem, quam infra scripsi: — οὐκ ἂν ἡγεῖτο μᾶλλον περιγενέσθαι ἢ ἄνευ προόψεώς τε αὐτῶν καὶ μὴ ἀπόρου του ὄντος καταφρονήσεως.

„— difficilius putabat se victurum esse quam si non conspectus esset, neque, inopia quadem [hostibus] adparente, in contemptionem venisset“.

Brasidas antea nolebat conspici, ne animadverteretur ab hostibus inopia armarturae ipseque ne inde contemneretur. Causam igitur continet μὴ ἀπόρου του ὄντος enuntiatum, cur Brasidae timendum sit, ne molestum istud sibi accidat scilicet demonstrando hosti mancas suas vires.

De sententia cf. VII, 8, 1. τήν τε τῶν πολεμίων ἰ σ χ ὺ ν

καὶ τὴν σφετέραν ἀ π ο ρ ί α ν. IV, 52, 3. ναῦς τε γὰρ ε ὐ π ο-ρ ί α ἦν ποιεῖσθαι. IV, 29, 2. τοῦ χωρίου τ ῇ ἀ π ο ρ ί ᾳ.

De ἄπορον neutri forma [= ἀπορία] cf. I, 136, 2. κ α τ ά τ ι ἄ π ο ρ ο ν. I, 25, 1. ἐ ν ἀ π ό ρ ῳ εἴχοντο. II, 62, 5. ἐ ν τ ῷ ἀ π ό ρ ῳ. III, 82, 7. πρὸς τὸ ἄ π ο ρ ο ν. IV, 127, 2. τὸ ἀ π ό-ρ ο ν τῆς ὁδοῦ.

De abundante denique μή coniunctione utpote adposita ad praepositionem, in qua negatio inest, cf. I, 77, 2. π α ρ ὰ τ ὸ μ ὴ ο ἴ ε σ θ α ι, et Matth. gr. ampl. §. 534, not. 4, 7.

V, 18, 1.

Περὶ μὲν τῶν ἱερῶν τῶν κοινῶν θύειν καὶ ἰέναι καὶ μαντεύεσθαι καὶ θεωρεῖν κατὰ τὰ πάτρια τὸν βουλόμενον καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν ἀδεῶς.

Agitur h. l. de καὶ ἰέναι vocabulis; quibus quid sit faciendum, minime in promptu est. Arnoldus igitur volg. scripturam defendit affirmans, in omnibus solennibus formulis et pactis multa vocabula interponi, quae in communi sermone supervacanea existimentur. Praeterea hic ἰέναι verbum non esse supervacaneum, cum ne quis in ipso itinere ad templa interpelletur, caveat. Quamquam Arnoldus ipse concedit, difficultatem in eo esse, quod sequatur θύειν verbum, non praecedat. „Sed profecto, inquit, non magnum momentum huic rei est tribuendum."

Alterum Arnoldi argumentum, in omnibus solennibus formulis multa vocabula interponi, quae in vulgari sermone supervacanea sint, exemplis stabiliendum est, id quod haud scio an non fieri possit. Quod vero secundo loco posuit, καὶ ἰέναι verba idcirco esse a paciscentibus addita, ut caveant,

ne quis in itinere ad templum interpelletur, videat ne inconsideratius id quam verius dixerit. Etenim si cui licet *θύειν καὶ μαντεύεσθαι καὶ θεωρεῖν*, nonne ei ultro licet proficisci ad templa? An illud sine hoc omnino potest fieri?

Iam cadit fundamentum Arnoldi, quem ceteri fere omnes secuti sunt. Quid igitur? Equidem sanum sensum ex *καὶ ἰέναι* vocibus neque quemquam puto posse enucleare, quoniam corrupta verba non sunt explicanda sed emendanda. Itaque ut meum de sananda hac formula iudicium afferam, abreptam esse mihi persuasum est a *καί* particula praecedente *καθ'* praepositionem coniungendam eam quidem cum *ἰέναι* verbo, ita ut talem induat formam enuntiatio:

— *θύειν καὶ καθιέναι καὶ μαντεύεσθαι κτέ.*

Quod ad *καθιέναι* verbi notionem attinet, in promptu sunt similes huius verbi hae: VI, 16, 2. *διότι ἅρματα μὲν ἑπτὰ καθῆκα.* Lucian Alex. VI, 69. *οἱ καθιέντες* (sc. *ἑαυτούς*) *ἐς τοὺς ἀγῶνας.* Xen. An. IV, 8, 27. *πολλοὶ γὰρ κατέβησαν.* Soph. Trach. 503. Plat. legg. III, 834 c. cf. Lob. ad Phryn. p. 398. Thomas Mag. p. 815.

Vides quam pulchre copulatae sint notiones:

I. *θύειν* (sacrificare). II. *μαντεύεσθαι* (oracula consulere).

III. *καθιέναι* (in certamen descendere). IV. *θεωρεῖν* (ludos spectatum ire).

Ceterum de Olympiis cf. Thuc. V, 49.

V, 20, 2.

Σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους καὶ μὴ τῶν ἑκασταχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ προγεγενημένα σημαινόντων πιστεύσας μᾶλλον.

Priorum interpretum varia explicandi pericula uberius, ut solet, sed recte, ut mihi videtur, reiecit Poppo nec tamen ipse probabiliora proponens. Putat enim, post *ὀνομάτων* genetivum *τῶν* articulum excidisse, deinde *τῶν ἑκαστοχοῦ — τινος* verba pendere ex *ἀπαρίθμησιν* subst., denique *ἀπαριθ.* ex superiore *κατά* praepositione, hoc modo sententiam exprimens: „spectet autem aliquis secundum tempora et non (secundum) eorum qui singulis in civitatibus aut magistratus gerunt aut aliquo honore funguntur, enumerationem, quae rerum ante gestarum notae sint, magis (potius) fidem habens.“

Ut taceam, *πιστεύσας* participium non habere quo referatur, quam dura et contorta sit tota haec ratio, unusquisque videt.

Quum igitur nemo adhuc idoneam verae indagandae scripturae viam patefecerit, iam vide, quomodo ego coniectandi munere perfunctus sim.

Primum ante *τῶν* articulum *τῷ* pronomen omissum esse suspicor; *ΤΩΙ = ΤΩΝ*; tum librarii errore ducti, cum in *σημαίνω* verbo activam vim inesse putarent sive alia de causa *ἀπαρίθμησιν* accusativum pro *ἀπαριθμήσει* dativo falso scripsisse existimandi sunt: quod quidem si restitueris atque *τῷ* illud in continuationem verborum receperis, habebis hanc non iam laborantem sententiae formam:

— *καὶ μὴ τῷ τῶν ἑκαστοχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος τῇ ἀπαριθμήσει τῶν ὀνομάτων κτἑ.*

„spectet autem aliquis secundum tempora neve cuiquam eorum, qui singulis in civitatibus aut magistratus gerant aut aliquo honore fungentes enumeratione nominum ad res ante gestas signa offerant, magis fidem habens.“

Vide schol. s. v. *σημαινόντων*] *σημασίαν καὶ δήλωσιν διδόντων.*

V, 90.

ΜΗΛ. Ἡμεῖς μὲν δὴ νομίζομέν γε χρήσιμον — μὴ καταλύειν ὑμᾶς τὸ κοινὸν ἀγαθόν, ἀλλὰ τῷ ἀεὶ ἐν κινδύνῳ γιγνομένῳ εἶναι τὰ εἰκότα δίκαια, καί τι καὶ ἐντὸς τοῦ ἀκριβοῦς πείσαντά τινα ὠφεληθῆναι.

πείσοντα Volg. — πείσαντα Ar. Chr.

Miror, hoc praestantissimae Meliorum orationis quamvis obscurum membrum quippe tot interpretationes expertum hodieque nondum esse satis illustratum.

Sunt qui volg. scripturam πείσοντα fut. tueantur nobis quidem ut graeco sermoni contrarium aliquid defendentes plane neglegendi. Melius igitur fecerunt ei qui duorum codicum scripturam receperunt π ε ί σ α ν τ α aor., Arnoldus, Poppo, Kruegerus, quorum interpretandi rationes maiorem quidem probabilitatis speciem prae se ferunt nec tamen, si adcuratius eas perspexeris, tibi omnino probabiles adparebunt. — Arnoldus enim hanc proposuit sententiae versionem latinam: „Sed (utile putamus) ut, quicunque in periculo versetur, ei omnia aequa et iusta concedantur, et ut, si quod argumentum probabile reddiderit, etiamsi non e summo iure dictum fuerit, tamen fructum inde percipiat.“ Eodem fere redit Popponis iudicium in Diurn. Hal. hanc afferentis germanicam: „Und wir halten es für nützlich, dass auch einer, der weniger als es das strenge Recht erheischt, überzeugt, einigen Nutzen ziehe.“

Quas quidem explanationes veram scriptoris mentem non aperuisse apertum est. Nam ἐντὸς τοῦ ἀκριβοῦς πείθειν notio quo spectet quidque ad rem faciat quis intellegit? Quid attinet, utrum e summo iure Melii persuaserint Atheniensibus necne? Aptius deinde cum ὠφεληθῆναι infinitivo ἐντὸς τοῦ ἀκριβοῦς illud coniungit Kruegerus hac addita interpre-

Priorum interpretum varia explicandi pericula uberius, ut solet, sed recte, ut mihi videtur, reiecit Poppo nec tamen ipse probabiliora proponens. Putat enim, post *ὀνομάτων* genetivum *τῶν* articulum excidisse, deinde *τῶν ἑμαστοχοῦ — τινος* verba pendere ex *ἀπαρίθμησιν* subst., denique *ἀπαριθ.* ex superiore *κατά* praepositione, hoc modo sententiam exprimens: „spectet autem aliquis secundum tempora et non (secundum) eorum qui singulis in civitatibus aut magistratus gerunt aut aliquo honore funguntur, enumerationem, quae rerum ante gestarum notae sint, magis (potius) fidem habens."

Ut taceam, *πιστεύσας* participium non habere quo referatur, quam dura et contorta sit tota haec ratio, unusquisque videt.

Quum igitur nemo adhuc idoneam verae indagandae scripturae viam patefecerit, iam vide, quomodo ego coniectandi munere perfunctus sim.

Primum ante *τῶν* articulum *τῷ* pronomen omissum esse suspicor; *ΤΩΙ = ΤΩΝ*; tum librarii errore ducti, cum in *σημαίνω* verbo activam vim inesse putarent sive alia de causa *ἀπαρίθμησιν* accusativum pro *ἀπαριθμήσει* dativo falso scripsisse existimandi sunt: quod quidem si restitueris atque *τῷ* illud in continuationem verborum receperis, habebis hanc non iam laborantem sententiae formam:

— *καὶ μὴ τ ῷ τ ῶ ν ἑκαστοχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος τ ῇ ἀ π α ρ ι θ μ ή σ ε ι τῶν ὀνομάτων κτέ.*

„spectet autem aliquis secundum tempora neve cuiquam eorum, qui singulis in civitatibus aut magistratus gerant aut aliquo honore fungentes enumeratione nominum ad res ante gestas signa offerant, magis fidem habens."

Vide schol. s. v. *σημαινόντων*] *σημασίαν καὶ δήλωσιν διδόντων.*

V, 90.

ΜΗΛ. Ἡμεῖς μὲν δὴ νομίζομέν γε χρήσιμον — μὴ καταλύειν ὑμᾶς τὸ κοινὸν ἀγαθόν, ἀλλὰ τῷ ἀεὶ ἐν κινδύνῳ γιγνομένῳ εἶναι τὰ εἰκότα δίκαια, καί τι καὶ ἐντὸς τοῦ ἀκριβοῦς πείσαντά τινα ὠφεληθῆναι.

πείσοντα Volg. — πείσαντα Ar. Chr.

Miror, hoc praestantissimae Meliorum orationis quamvis obscurum membrum quippe tot interpretationes expertum hodieque nondum esse satis illustratum.

Sunt qui volg. scripturam πείσοντα fut. tueantur nobis quidem ut graeco sermoni contrarium aliquid defendentes plane neglegendi. Melius igitur fecerunt ei qui duorum codicum scripturam receperunt πείσαντα aor., Arnoldus, Poppo, Kruegerus, quorum interpretandi rationes maiorem quidem probabilitatis speciem prae se ferunt nec tamen, si adcuratius eas perspexeris, tibi omnino probabiles adparebunt. — Arnoldus enim hanc proposuit sententiae versionem latinam: „Sed (utile putamus) ut, quicunque in periculo versetur, ei omnia aequa et iusta concedantur, et ut, si quod argumentum probabile reddiderit, etiamsi non e summo iure dictum fuerit, tamen fructum inde percipiat.“ Eodem fere redit Popponis iudicium in Diurn. Hal. hanc afferentis germanicam: „Und wir halten es für nützlich, dass auch einer, der weniger als es das strenge Recht erheischt, überzeugt, einigen Nutzen ziehe.“

Quas quidem explanationes veram scriptoris mentem non aperuisse apertum est. Nam ἐντὸς τοῦ ἀκριβοῦς πείθειν notio quo spectet quidque ad rem faciat quis intellegit? Quid attinet, utrum e summo iure Melii persuaserint Atheniensibus necne? Aptius deinde cum ὠφεληθῆναι infinitivo ἐντὸς τοῦ ἀκριβοῦς illud coniungit Kruegerus hac addita interpre-

tatione: „es ist nützlich, dass Jemand auch etwas mehr als dem strengen Rechte gemäss ist, Begünstigungen erfahre, nachdem er [seine Gegner] überredet, sie ihm zu gewähren.“ Minime tamen ferri posse hanc Kruegeri rationem, neminem fugiat. Neque enim in causa esse potest, cur ii qui in summum discrimen inviti sint adducti, aliquem favorem adipiscantur, quia hosti persuaserint, ut sibi tale emolumentum daretur. Adde quod non sine offensione h. l. *πείσαντα* aor. absolute positus legitur.

Post tot igitur tamque varia virorum doctorum illustrandae orationis conamina paene temerarium est addere novum quod non admodum speciosum esse videatur.

Itaque una syllaba mutata videbis tandem aliquando post istas interpretum iniurias sententiam eam quae ei debetur formam recuperaturam esse. Scribe autem pro *παίσαντα* accusativo *παίσαντι* dativum, quae mutatio lenissima integerrimam efficit orationem hanc:

— *ἀλλὰ τῷ ἀεὶ ἐν κινδύνῳ γιγνομένῳ εἶναι τὰ εἰκότα δίκαια καί τι καὶ ἐντὸς τοῦ ἀκριβοῦς πείσαντί τινα ὠφεληθῆναι.*

„Atqui nos utile putamus esse — non everti a vobis omnibus commune bonum, sed ei quicunque in periculo versetur, aequa pro iustis haberi, etiamsi alicui persuadeat, ut pro re nata vel minus quam e summo iure liceat emolumentum ille percipiat.“

De *πείθειν* verbi constructione cf. III, 4', 3. *εἴ πως πείσειαν τὰς ναῦς ἀπελθεῖν ὡς σφῶν οὐδὲν νεωτεριούντων.* Xen. An. V, 1, 14. *τὰς πόλεις ἑκούσας ἔπεισε ποιεῖν τὰς ὁδούς.*

V, 110.

Καὶ εἰ τοῦδε σφάλλοιντο, τράποιντ' ἂν καὶ ἐς τὴν γῆν ὑμῶν καὶ ἐπὶ τοὺς λοιποὺς τῶν ξυμμάχων, ὅσους μὴ Βρασίδας ἐπῆλθεν· καὶ οὐ περὶ τῆς μὴ προσηκούσης μᾶλλον ἢ τῆς οἰκειοτέρας ξυμμαχίδος τε καὶ γῆς ὁ πόνος ὑμῖν ἔσται.

Postremarum vocum apertum vitium removere multi quidem sunt conati, nemo quidquam profecisse mihi videtur. Nam quod Haasius [lucubrr. Thucc. p. 90 sqq.] cum confidentia quadam statuit, nullam aliam nisi hanc enuntiationis speciem e manu scriptoris profectam esse; — *ἢ τῆς οἰκειοτέρας ξυμμαχίας τε καὶ γῆς ὁ πόνος ὑμῖν ἔσται*, vehementer eum errasse eadem cum confidentia affirmaverim. Primum enim facilius potuisse oriri ex *ξυμμαχίδος* adi. *ξυμμαχίας* quam illud ex hoc, nemo non videt; tum vero ideo maxime Haasii coniectura spernenda est, quod h. l. de nulla societate agitur sed de solo agro et Atheniensium et sociorum, id quod ex antecedente sententia clarissime elucet.

Magis speciosam iam antea Poppo protulerat rationem in *γῆς* vocabulo latere suspicatus *ἰδίας*, probabilem eam quidem, quantum ad sententiam, minus tamen, quantum ad literarum similitudinem, quae inter utramque vocem intercedit: quippe per compendium scriptas non dissimiles fuisse eas, sibi ipsi persuasit Poppo nec tamen Haasio, cui contra persuasissimum est, neminem ita iudicare, qui mscc. tractaverit.

Neque ideo post hos interpretum errores desperandum est de scripturae vitio tollendo: imo vero in promptu est corrumpendi origo: nempe casu quodam *καὶ γῆς* verba orta sunt ex *καινῆς* adiectivo, postquam intercidit inter *τε καινῆς* voces *ἐκ* praepositio.

Habes iam novam enuntiati vestem, qua quidem si

sententiam ornaveris, formosior forsitan ea evadet qualis haec est:

— ἢ τῆς οἰκειοτέρας ξυμμαχίδος τε ἐκ καινῆς ὁ πόνος ὑμῖν ἔσται.

„— et non de aliena potius quam de ea quae magis ad vos pertinet (sc. sua ipsorum) deque foederata terra denuo certamen vobis erit subeundum.“

Respicit autem scriptor ad priores istas a Lacedaemoniis perpetratas Atheniensium sociorumque agri vastationes.

III, 92, 5. καταστάντες δὲ ἐτείχισαν τὴν πόλιν ἐκ καινῆς.

V, 111, fin.

Σκοπεῖτε οὖν καὶ μεταστάντων ἡμῶν καὶ ἐνθυμεῖσθε πολλάκις ὅτι περὶ πατρίδος βουλεύεσθε, ἣν μιᾶς πέρι καὶ ἐς μίαν βουλὴν τυχοῦσάν τε καὶ μὴ κατορθώσασαν ἔσται.

ἴστι pro ἔσται Vind. — ἵσταται γρ. Par. h.

Gravissimum quod in fine excelsae huius orationis inest mendum nondum esse deletum vehementer doleo. — Portus igitur coniecit haec: ἡ μιᾶς πέρι καὶ ἐς μίαν βουλὴν τυχοῦσά τε καὶ μὴ κατορθώσασα ἔσται. Heilmanno hoc placuit: ἧς μιᾶς πέρι [πατρίδος] καὶ ἐς μίαν βουλὴν τυχοῦσαν τε καὶ μὴ κατορθώσασαν ἔσται [suppl. τὸ πρᾶγμα sive ὁ κίνδυνος]. Uterque erravit: alter quod μιᾶς πέρι verba ad βουλὴν spectare voluit, id quod fieri nulla ratione posse per se cuique patet; alter quod in solo verbo ἔσται putat significationem inesse, qualem nusquam apud scriptores graecos reperies. Ad verum propius accessisse videtur Reiskius, qui hanc enuntiato medecinam adhibuit: — ἣν, μιᾶς πέρι βουλευόμενοι, καὶ ἐς

μίαν βουλὴν τυχοῦσάν τε καὶ μή, σφαλεῖσαν ἢ κατορθώσασαν ἕξετε. — Recte quidem Reiskius quod ad sensum, non item quod ad verba scriptoris attinet eoque vituperandus quod sua ipsius verba in textum quem vocant inferre quam emendare eum maluit. Idemque est iudicium faciendum de coniecturis et Dobrei et Haasii, quorum illius ingeniosa illa quidem sed minime probanda haec est: *ἢ μιᾶς ἐπὶ ῥοπῆς . . . . . ἵσταται* (pro *ἔσται*), Haasii vero (lucubrr. p. 91 sqq.) haec: *ἢ ὑμᾶς περιποιᾶσαι ἐς μίαν βουλὴν κτέ.*

Aliorum vana pericula tacere praestat.

Proponam nunc quid ipse de illustranda obscurissima sententia mihi persuaserim. Literae igitur *ἐς* ante *μίαν βουλὴν* illud fortasse superscriptae irrepsisse putandae sunt ex inferiore in superiorem lineam utpote eiectae ex suo loco, qui erat in medio verbo *ἔσται*, quo factum est, ut hoc verbum ex *ἔσεσθαι* corriperetur.

Quod quidem si recte conieci, corruit statim eius pedisequa depravatio *ἣν μιᾶς πέρι* pro *ἧς μιᾶς πέρι.*

Quare sic legendum esse statuo:

— *ἧς μιᾶς πέρι καὶ μίαν βουλὴν τυχοῦσάν τε καὶ μὴ κατορθώσασαν ἔσεσθαι.*

„de qua una [patria] etiam unam consultationem sive felicem sive infelicem futuram esse.“

III, 42, 5. *οὕτω γὰρ ὅτε κατορθῶν ἥκιστα ἂν ἐπὶ τῷ ἔτι μειζόνων ἀξιοῦσθαι παρὰ γνώμην τι καὶ πρὸς χάριν λέγοι, ὅ τε μὴ ἐπιτυχὼν ὀρέγοιτο κτέ.* cf. IV, 63, 3. III, 39, 6. II, 65.

Sin forte in *τε - καὶ* part. offenderis, conferas II, 35, 1. *μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλῶν ἀρετὰς κινδυνεύεσθαι εὖ τε καὶ χεῖρον εἰπόντι πιστευθῆναι.*

Hanc meam turpiter mutilatae enuntiationis emendationem

minime esse omnibus numeris absolutam neque ipse antea non senseram et praeclare mihi inter disputationes sem. Reg. phil. persuasit Ritschelius, qui quidem, quamquam me delenda ἐς praepositione nonnihil profecisse laudavit, negavit tamen, talem qualis emendando ortus sit accusativum cum inf. h. l. ferri posse: fastigium deinde rei imposuit eo quod pro ἔσεσθαι inf. substituendam esse iussit cod. Vind. scripturam ἴστε imperat. — Quo restituto sanam hanc scripturam habebis:

— ἧς μιᾶς πέρι καὶ μίαν βουλὴν τυχοῦσάν τε καὶ μὴ κατορθώσασαν ἴστε.

VI, 31, 4.

Ξυνέβη δὲ πρός τε σφᾶς αὐτοὺς ἅμα ἔριν γενέσθαι, ᾧ τις ἕκαστος προσετάχθη κτέ.

Animadvertit primus Kruegerus, non aequo iure dici τις ἕκαστος atque ἕκαστος τις; quae res eum movit, ut ἕκαστος vocabulum glossema esse coniiceret adscriptum ad explicandum τις pronomen. Sed quis librariorum tam stultus fuit, ut τις vocem per ἕκαστος illustraret? At lenissima mutatioue id quod solum tolerari potest, possumus assequi. Lege: ᾧ εἷς ἕκαστος προσετάχθη.

VI, 61, 1.

Καὶ ἐπειδὴ τὸ τῶν Ἑρμῶν ᾤοντο σαφὲς ἔχειν, πολὺ δὴ μᾶλλον καὶ τὰ μυστικά, ὧν ἐπαίτιος ἦν, μετὰ τοῦ αὐτοῦ

λόγου καὶ τῆς ξυνωμοσίας ἐπὶ τῷ δήμῳ ἀπ' ἐκείνου ἐδόκει πραχθῆναι.

Contra vim *μετὰ* praepositionis interpretes ad *τῆς ξυνωμοσίας* verba suppleverunt *μετά* illud ita rem accipientes, ut *μετὰ τῆς ξυνωμοσίας* esset: „coniurationis ergo.“ In quam opinionem video ipsum Kruegerum abisse, ut perspicitur ex hac translatione: „unter denselben Beweggründen und unter, wegen, der Verschwörung.“ Primum ex Kruegero quaesierim, num idem sit **unter** et **wegen** der Verschwörung? Tum vero, quasnam mente sibi finxerit causas [Beweggründe] quoque eas spectare velit? Scilicet ad nullam aliam rem nisi ad coniurationem illam eas pertinuisse apertum est. Nonne igitur absurdum esset addere tamquam novum argumentum: „et coniurationis ergo?“ — Qua quidem argumentatione facile intellegis nobis ipsos iam patefecisse nos veram sanandae sententiae viam. Scripsit enim Thuc. *κατὰ τῆς ξυνωμοσίας* pertinens id quidem ad *τοῦ αὐτοῦ λόγου* verba.

„eadem ratione in coniurationem [coniurationis gratia] adversus statum popularem videbatur ab eo factum esse.

VI, 27, 2. *καὶ ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ ἅμα νεωτέρων πραγμάτων καὶ δήμου καταλύσεως γεγενῆσθαι.*

VI, 60, 1. *καὶ πάντα αὐτοῖς ἐδόκει ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ ὀλιγαρχικῇ καὶ τυραννικῇ πεπρᾶχθαι.*

VI, 87, 4.

Ἐν παντὶ γὰρ πᾶς χωρίῳ, καὶ ᾧ μὴ ὑπάρχομεν, ὅ τε οἰόμενος ἀδικήσεσθαι καὶ ὁ ἐπιβουλεύων διὰ τὸ ἑτοίμην ὑπεῖναι ἐλπίδα τῷ μὲν ἀντιτυχεῖν ἐπικουρίας ἀφ' ἡμῶν, τῷ δὲ, εἰ ἥξο-

μεν, μὴ ἀδεεῖς εἶναι κινδυνεύειν, ἀμφότεροι ἀναγκάζονται ὁ μὲν ἄκων σωφρονεῖν, ὁ δ'ἀπραγμόνως σώζεσθαι.

Inter eos qui volg. scripturae: *μὴ ἀδεεῖς εἶναι κινδυνεύειν* defendendae causa hanc sententiam illustrarunt, solus nominandus est Bauerus, qui haud plane spernendam explicandi rationem attulit hanc: „hos autem in periculum venturos ne non vacent timore ac terrore a vobis", sic quidem ut pendentem faceret *μὴ ἀδεεῖς εἶναι* inf. ab altero *κινδυνεύειν*. Quamquam haec structura dici non potest quam dura et contorta sit. „At non repugnat, dixerit fortasse aliquis, legibus grammaticis?" Non repugnat quidem ea legibus grammaticis, sed repugnat legibus adcurate cogitandi eleganterque scribendi, repugnat mori Thucydideo, qui distinctam brevitatem praefert languidae verbositati.

Itaque nobis non iam res est cum interpretibus, est cum criticis. Dobreus igitur pro *ἀδεεῖς* masc. substituit *ἀδεές* neutr.; collata simili structura ap. Demosth. pro Megal. p. 207, 22 (R.): *οὐ γὰρ ἀδεὲς τοῦτο ὑπολαμβάνω τῇ πόλει*, ita sententiam vertens: „huic autem [in promptu sit exspectare] ut, si venerimus, periculum sit, ne id sibi sit formidabile." In qua Dobrei ratione Goellerus iure desiderat: *μὴ οὐκ ἀδεὲς ᾖ κίνδυνον εἶναι.* Concidit ergo Dobrei coniectura.

Iam quaeritur in quonam vocabulo insit vitium? Quod nihil aliud esse nisi *εἶναι* verbum nunc apud me constat. Quid, si comparaveris *εἶναι* et *δεῖν* verba? Nonne fortasse quaedam similitudo inter ea intercessit, si respexeris usitatissimum illud genus scribendi per compendium? — Quodsi substitueris *δεῖν* illud, non iam te fugiet altera corruptela subinde nata *ἀδεεῖς*, pro quo accusativo exarandum est *ἀδεῶς* adverbium, quae fere nulla est commutatio literarum. — Quo facto tale fit enuntiatum:

— *τῷ δέ, εἰ ἥξομεν, μὴ ἀ δ ε ῶ ς δ ε ῖ ν κινδυνεύειν.*

— huic autem [licet exspectare], ut, si venerimus, non sine cura certamen subire debeat.

VI, 27, 2. μενύειν ἀδεῶς τὸν βουλόμενον.

VI, 50, 4. τοὺς οὖν ὄντας ἐν Συρακούσαις Λεοντίνων ὡς παρὰ φίλους καὶ εὐεργέτας Ἀθηναίους ἀδεῶς ἀπιέναι.

VII, 56, 1. οἱ δὲ Συρακόσιοι τόν τε λιμένα εὐθὺς παρέπλεον ἀδεῶς.

VII, 56, 4.

Ἔθνη γὰρ πλεῖστα δὴ ἐπὶ μίαν πόλιν ταύτην ξυνῆλθε, πλήν γε δὴ τοῦ ξύμπαντος λόγου τοῦ ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρὸς τὴν Ἀθηναίων τε πόλιν καὶ Λακεδαιμονίων.

Cardo rerum versatur in λόγου verbo interpetrando, de quo alii alias attulerunt significationes: Kistemakerus vult numeri notionem inesse; vertit enim: „excepto omni eo numero militum, qui in hoc bello erat ex Atheniensium et Laconum urbe,“ quocum nec λόγου subst. nec πρός praepositionis vis potest ullo pacto conciliari. — Sunt qui ad λόγου suppleant ξυνελθόντος: Goellerus, Haackius, Arnoldus, ita interpretantes: „qui cum Atheniensibus et Lacedaemoniis se coniunxerant.“ At neque ὁ λόγος ξυνέρχεται graece dici posse rectissime sensit Poppo, cum λόγος vocabulum proprie nihil aliud significet nisi „rationem,“ nec ξυνέρχεσθαι πρός τινα „societatem inire cum aliquo,“ quod Thuc. exprimere soleat ξυστῆναι πρός τι. — Quam denique Poppo suam facit opinionem: ὁ λόγος ὁ πρός — nihil aliud esse nisi „rationem, quae fuit ad — „Das Verhältniss, welches stattfand, zu —“, eam quomodo suae menti informaverit, non assequor.

Verumtamen quorsum morari lecturos? En integra, qualis a scriptoris manu prodiit, enuntiatio:

— πλήν γε δὴ τοῦ ξυστάντος ὅλου τοῦ ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρὸς κτέ.

„— exceptis iis copiis totis, quae omnino in hoc bello et cum Atheniensium urbe et Lacedaemoniorum coniunctae erant.“

Qui vero confundi potuerit *ὅλου λόγου* voce, non est quod multis demonstremus; aeque facilem fuisse corruptelam *ξύμπαντος* haud dubie ex priore illa profectam facile dederis.

I, 1, 1. *ξ υ ν ι σ τ ά μ ε ν ο ν π ρ ὸ ς* *ἑκατέρους.*

VI, 85, 3. *οὔτε γὰρ ἡμῖν ἔτι ἔσται ἰσχὺς τοσαύτη ἐ ς ἓ ν ξ υ σ τ ᾶ σ α εὐμεταχείριστος κτέ.*

VII, 61, 2.

— καὶ τὸ τῆς τύχης κἂν μεθ' ἡμῶν ἐλπίσαντες στῆναι καὶ ὡς ἀναμαχούμενοι ἀξίως τοῦδε τοῦ πλήθους, ὅσον αὐτοὶ ὑμῶν ἐφορᾶτε, παρασκευάζεσθε.

Quid *καὶ* part. ante *ὡς ἀναμαχούμενοι*? qua aptissime connecti *ἐλπίσαντες* et *ὡς ἀναμαχούμενοι* notiones vult Kruegerus, ita ut *ἐλπίσαντες καὶ ὡς ἀναμαχούμενοι* positum sit pro *προσδοκῶντες ἀναμαχεῖσθαι;* qualem tamen dictionem prorsus carere analogia certo scio: nam quas Kruegerus gramm. §. 56, 14, not. 1 confert similes structuras, eas esse valde dissimiles, statim videbit is qui diligentius eas perpenderit.

Nec magis is quem Haackius constituit sententiarum nexus habet quo commendetur. Etsi enim non inepte *ὡς ἀναμαχούμενοι* voces per appositionem coniunctas esse duxit cum *παρασκευάζεσθε* verbo, tamen quae ille, ut confirmaret suam de *καὶ* vocis significatione opinionem, exempla attulit, non ita ea sunt comparata, ut refutent Popponis iudicium ullam constructionem negantis posse reperiri, ubi *καὶ* inter duo participia

sic legatur, ut vim accipiat: „etiam.“ — Quapropter Poppo καὶ part. suspectam esse credit. Itaque nos nescimus quid hac coniunctione faciamus; quamquam delere eam invitis codicibus sine idonea ratione est nodum perfringere non expedire. Quid? si exhibeatur *δικαίως ἀναμαχούμενοι*? ex hac ratiocinatione, ut *δικαίως* adverbii priorem partem a proxima *στῆναι* verbi absorptam esse mansisseque accipias *καιως*, quod postmodo secreverint in *καὶ ὡς*. — Ceterum *δικαίως* adverbium in suo loco esse melius intelleges, si respexeris eam quae praecedit sententiam: *καὶ τὸ τῆς τύχης κἂν μεθ' ἡμῶν ἐλπίσαντες στῆναι*; causam enim continet, cur sperare liceat ut fortuna cum ipsis stet. cf. V, 104. — *ὅμως δὲ πιστεύομεν τῇ μὲν τύχῃ ἐκ τοῦ θείου μὴ ἐλασσώσεσθαι, ὅτι ὅσιοι πρὸς οὐ δικαίους ἱστάμεθα κτἑ.*

Sed ulterius est forsitan progrediendum. — Nam haereo item in *ἀναμαχούμενοι* participio, pro quo substituere malim *ἂν μαχούμενοι*, primum quod simplex verbum sensui adcommodatius esse videtur, deinde autem quod *ἀναμαχεῖσθαι* compositum nusquam alibi in toto Thucydide legitur, cui tamen negari nequit frequentem datam esse occasionem hoc verbo utendi, rarissime etiam apud alios eiusdem aetatis scriptores.

De participiis altero alteri sine copula adiunctis adeundus Krueger. gramm. §. 56, 15 seqq.

VIII, 34, 1.

Ἐν τούτῳ δὲ καὶ ἡ τῶν Ἀθηναίων στρατιὰ ταῖς ναυσὶν ἐκ τοῦ Κωρύκου περιπλέουσα κατ' Ἀργῖνον ἐπιτυγχάνει τρισὶ ναυσὶ τῶν Χίων μακραῖς καὶ ὥσπερ ἰδόντες ἐπεδίωκον.

ὥσπερ ἰδόντες] *ὡς εἶδον* Vat. — *ἐπεδίωκον* Ital. (Bekk.) Aug. Cass., al. — *ἐδίωκον* Vat. — *αὐτὰς ἐπεδίωκον* volg. script. —

Quale volg. scriptura exhibet enuntiatum nullo modo tolerari posse, primo unusquisque obtutu videt. Quamquam non defuerunt interpretes, qui per vim, ut ita dicam, sanam mentem ei obtrudere omni ope niterentur, quorum alii *ὥσπερ* vocabulum statuerunt positum esse pro *ἐπειδή*, *ὡς*, alii vertendum esse „quasi, tamquam," pars denique, *καὶ* coniunctionem reddi posse: „continuo," quas omnes ineptias longius refutare nihil attinet. Facilius rem egerunt recentiores: Haasius, Kruegerus in unius cod. Vat. *ὡς εἶδον*, *ἐδίωκον* exhibentis scriptura acquiescentes, facilius dico quam verius. Equidem non video, cur optimorum codd. scriptura relinquenda sit, quam tamen minime sinceram esse iudico. Nec violentiore opus est medecina. Primum enim dispescenda est *ὥσπερ* vox in *ὡς—περ* vocabula duo, *περ* autem hoc cum subsequente participio coniungendum. Tum pro *ἰδόντες* illo exarandum *ἰόντες*, una tantum *δ* litera eiecta. Quare sic scribendum est:

— *καὶ ὡς περιόντες ἐπεδίωκον κτέ.*

„— et cum superiores factae essent eas persequebantur."

Prorsus similes sententiae extant III, 69, 1.

VII, 23, 2. *τῶν γὰρ Συρακοσίων ταῖς ἐν τῷ μεγάλῳ λιμένι ναυσὶ κρατούντων τῇ ναυμαχίᾳ ὑπὸ τριήρους μιᾶς καὶ εὖ πλεούσης ἐπεδιώκοντο.*

VII, 53, 3 — *καὶ δείσαντες περὶ ταῖς ναυσὶν ἐς μάχην τε κατέστησαν πρὸς αὐτοὺς καὶ νικήσαντες ἐπεδίωξαν.*

IV, 43, 3. *λόχος δέ τις τῶν Κορινθίων ἐπιβοηθήσας τῷ εὐωνύμῳ κέρᾳ ἑαυτῶν ἔτρεψε τῶν Ἀθηναίων τὸ δεξιὸν κέρας καὶ ἐπεδίωξεν ἐς τὴν θάλασσαν.*

V i t a.

Natus sum *Iohannes Küppers* auct. a. MDCCCXXX *Scti Antonii* vico prope Crefeldiam sito, patre *Andrea* octo abhinc annis morte mihi erepto, matre *Catharina* e gente *Dehmersia*, quae ante hos duos menses proh dolor! supremum diem obiit. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus inde a quarto decimo demum aetatis anno frequentavi collegium quod vocant urbanum Kempense, unde anno MDCCCXLVIII. abii ad gymnasium Marcoduranum, quod etiam nunc floret auspiciis *Meiringii*, viri amplissimi. Cuius disciplina per tres annos usus postquam auct. a. MDCCCLI. testimonio maturitatis instructus sum, Monasterium me contuli Guestphalorum, studiis philologicis me daturus. Ubi civium academicorum numero adscriptus scholis interfui *Deyksii*, *Esseri* b. m., *Heisii*, *Rospattii*, *Winiewskii* VV. DD. per annum et dimidium. Tum hanc almam universitatem Rhenanam adii iterumque civium in numerum receptus a Rectore Magnifico Cl. *Hilgersio* prodocentes audivi VV. Cll. *Abelium* b. m., *Iahnium*, *Knoodtium*, *Loebellium*, *Muysium*, *Ritschelium*, *Ritterum*, *Schopenum*, *Welckerum*.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago ex animi sententia, inprimis *Welckero* ac *Ritschelio*, quorum benevolentia in seminarium Reg. philologicum receptus sum, cuius per annum sodalis fui ordinarius: ex quo instituto longe utilissimo quantos fructus perceperim, dicere nihil attinet.

Sententiae controversae.

I. *Antiquitatis studium solum est fundamentum verae eruditionis.*

II. *Cum mente simul excolenda est memoria.*

III. *Atheniensium ostracismus qui vocatur salubre institutum fuit.*

IV. *In Eurip. Phoen. v. 1216 sic emendo:* ἐμ' ἤν γε φεύγων ἐκφύγῃς πρὸς αἰθέρα.

V. *In eiusdem Hel. v. 961 emendandum est:* λέξω τάδ' ἀμφὶ μνῆμα σοῦ πατρὸς σποδῷ.

VI. *Ap. Thuc. III, 17, 1 scribendum est:* πλεῖσται δὴ νῆες ἅμ' αὐτοῖς ἐνεργοὶ καὶ καλαὶ ἐγένοντο.

VII. *In Hippon. fragm. ap. schol. ad Aristoph. ran. v. 674 lego:* ἴκου καθ' ἱερ', ἢ Σκύθας ἀφίξεαι.

VIII. *In Plat. Critone III. B. non opus est Wolfii coniectura:* ὡς ἐκοί, ἐὰν σὺ ἀποθάνῃς, οὐ μία ξυμφορά ἐστιν, ἀλλὰ χωρὶς μὲν τοῦ ἐστερῆσθαι τοιούτου ἐπιτηδείου κτέ.

IX. *Ap. Lysiam Orat. 17, 4 (ed. Scheib.) cum Reiskio probandum est:* ὅτι οὐκ ἂν παραλιπόντες, —, πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπέγραφον καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κεκτῆμαι.

X. *Hor. ep. II, 1, 48 legendum est: „Qui redit ad fastos et virtutem aestimat annis."*